agricola est; Omnem palmitem in me non ferentem fructum
tollet eum: Et omnem qui fert fructum purgabit eum
ut fructum plus adferat; Iam uos mundi estis propter
sermonem quem loquutus sum uobis: Manete in me
et ego in uobis; Sicut palmes non potest ferre fructum
a semet ipso nisi manserit in uite sic nec uos nisi in me
manseritis; Ego sum uitis uos palmites; Qui manet
in me et ego in eo; hic fert fructum multum quia sine me
nihil potestis facere. Et si quis in me non manserit mittitur
foras sicut palmes et arescet et colligent eos et in igne
mittent et ardent; Si manseritis in me et uerba mea
in uobis manserint quodcumque uolueritis petetis et fi
et uobis; In hoc clarificatus est pater meus ut fructum
plurimum afferatis et efficiamini mei discipuli.
Sicut dilexit me pater et ego dilexi uos; Manete in di
lectione mea: Si precepta mea seruaueritis manebi
tis in dilectione mea; Sicut et ego patris mei precep
ta seruaui et maneo in eius dilectione; haec loquutus
sum uobis ut gaudium meum in uobis sit et gaudium
uestrum impleatur; hoc est preceptum meum ut diligatis
inuicem sicut dilexi uos; Maiorem hac dilectio
nem nemo habet ut animam suam quis ponat pro ami
cis suis. Uos amici mei estis si feceritis que ego precipio
uobis; Iam non dico uos seruos quia seruus nescit quid
faciat dominus eius; Uos autem dixi amicos quia omnia
quecumque audiui a patre meo nota feci uobis; Non
uos me elegistis sed ego elegi uos: Et posui uos ut ea
tis et fructum afferatis et fructus uester maneat.
Ut quodcumque petieritis patrem in nomine meo
det uobis. Haec mando uobis ut diligatis inuicem.